# AD LAUREAM MEDICINAE QUA DONATUR IN REGIO PARMENSI...

Michele Girardi, Bernardo Zurlini

AD LAUREAM MEDICINAE

QUA DONATUR

IN REGIO PARMENSI ARCHIGYMNASIO

DOMINUS

# BERNARDUS ZURLINIUS

PARMENSIS

# ORATIO

MICHAELIS GIRARDI

MEDICI R. PRINCIPIS HONORARII

ATQUE IN EODEM ARCHIGYMNASIO

HISTORIAE NATURALIS ET ANATOMES

PROFESSORIS PRIMARII ETC.

354

Antiquiſſima haec eſt, Rei Litterariae Moderatores ſapientiſſimi, Illuſtriſſimi Profeſſores, Patres ſpectatiſſimi, ac fere ab omnibus jam recepta conſuetudo, ut qui diſciplinae alicujus gravioris curſu confecto in florentiſſimis Athenaeis corona laurea decorantur, eorum doctrina, ingenium, induſtria, familiae merita, atque aliae hujuſmodi laudes publice praedicentur. Quae quidem conſuetudo etſi plurimum valet ad ipſam candidatorum virtutem illuſtri praemio nobilitandam, & ad reliquorum animos gloriae ſtudio inflammandos, illud tamen incommodi in ea eſt, quod ſaepe communes quaedam, promiſcuaeque laudationes tum magis, tum minus accommodentur, ex quibus

certum exploratumque judicium de ſingulorum meritis minime ferri poſſit. Huic profecto incommodo, ut ego arbitror, ita demum Medicina afferatur, ſi candidati cujuſque indoles quodam velut in ſpeculo deſcribatur, ita ut neque propriae ipſius dotes praetermittantur, neque, ſi quid in illa minus recte ſe habeat, occultando diſſimuletur. Sic enim fiet,. ut optimae ſpei juvenes, quandoquidem *nihil eſt* ( ut ille ajebat ) *ab omni parte beatum* (a). Tum ad naturae bona excolenda, tum ad vitia evellenda toto pectore incumbant. Ego quidem hodierno die de BERNARDO ZURLINIO optimo jure in Medicorum album adſcito breviter verba facturus ita me geram, ut neque vera laus ei detracta oratione mea, neque falſa affícta eſſe videatur.

Inter humani corporis habitudines eam, quae melancholica dicitur, omnium

(a) *Horatius*.

Digitized by Google

maxime convenire diſciplinarum cultoribus teſtatiſſimum eſt; ſiquidem docente Boerhavio (a), & ante ipſum Ariſtotele *Melancholicorum mentes aptiſſimae ſunt ad promovendos ſcientiarum limites. His vaſa videntur ſtricta, robuſta, macria, humores denſi tenaces, admodum permixti, nec facile ſeparabiles, aut mutabiles*. Hujuſmodi eſſe Bernardi noſtri temperiem, non iis modo compertum eſt qui arctioribus illi vinculis amicitiae, ac familiaritati adſtricti ſunt, ſed illis etiam haud obſcure innoteſcit, qui in ipſum quandoque oculos paullo diligentius intendant. Quamvis enim hilariores ille ſocietates non ſpernat, & in communi conſuetudine ſaepe laetitiae indulgeat, ac ſuaviſſimo quodam lepore facetiiſque aliorum mentes oblectet, tamen ſibimetipſi utplurimum libentiſſime vivit, ac ſeu domi immoretur, ſeu foras prodeat, compoſito vultu, atque in ſua cogitatione defixus incedit. Nec raro

(a) Praelect. Acad. § *896*.

etiam ita ſuis meditationibus diſtinetur, ut vel repetitis interrogationibus vix ullum ex ipſo verbum elicias. Quid quod in hac ſua humorum conſtitutione tam diligenter, & anxie valetudini inſervit, ut omnia caveat, omnia metuat? Neque enim ſolum alimentorum pondus, ceteraſque affectiones accuratiſſime perſcrutatur, ſed ipſum aerem frigidiorem, aut calidiorem, graviorem aut leviorem ſuis gradibus dimetitur, ac pro illius ratione ſaepe in horas mutabili, veſtitu atque induſiis commutatis quaſi Proteus, quidam novas identidem ſormas induit. Nonne hae ſunt melancholici hominis, ac prope hypocondriaci haud dubia argumenta? Porro de hac naturae conſtitutione, etſi nonnullis ridicula videatur, quid ſenſerint audiamus praeclariſſimi Viri, atque inter ceteros Aloyſius Oricellarius (a). *L'Ipocondria* ( en ejus ver-

(a) Proſe Fiorentine *Tom. II. Cicalata duodecima delle lodi dell'Ipocondria.*

ba) *provede ai beni del corpo: non ci è medico più ſaggio, nè più oculato di sè medeſimo, quando l'Uomo è ipocondriaco, per guardarſi dei mali, e per campare ſino all'ultimo anno di ſua vita: l'Ipocondria è ottima per l'acquiſto dei beni dell'animo; guida gli Uomini alla ſapienza; l'Ipocondria li ſolleva alle operazioni virtuoſe, e li rende avveduti, e circoſpetti nelle più ardue difficoltà*. Quibus verbis ſi graviſſima addatur Hippocratis auctoritas, cujus de Medico praeceptiones ſunt, ut *animum habeat modeſtum, non ſolum quod ad taciturnitatem attinet, ſed etiam circa reliquam vitam probe compoſitum...... figuram faciei habeat meditabundam ac ſubtriſtem*, luculentiſſime apparet eam ZURLINIO obtigiſſe naturae conſtitutionem, quae medicinae cultorem maxime decet.

At vero ſi cui forte iſthaec omnia levia eſſe videntur, quantinam ponderis illud eſt, quod Hippocrates ipſe monet (a)

---

(a) *De Medico*.

*oportere Medicum bonis, ac honeſtis moribus praeditum, ac juſtum eſſe ad opinionem ac auctoritatem omnium ſibi comparandam?* Haec probitatis, honeſtatiſque nota, quae maximi procul dubio momenti eſt, quam apte cadat in Candidatum noſtrum, pluribus argumentis oſtendi poſſet. Unum ſit inſtar omnium. Quis ignorat quanta proclivitate ferantur homines ob naturae perverſitatem ad male potius quam bene de aliis loquendum ac judicandum? quanto majore cum voluptate obtrectatoribus, quam laudatoribus alienae virtutis aures patefaciant? Ab hoc porro communi vitio Zurlinius noſter tam longe abfuit quam qui maxime. Quid enim unquam ab eo quiſquam audivit vel de induſtria, vel oſcitanter prolatum, quod alicujus nomini labem ullam inferret? Aliorum vero obtrectationes non modo nunquam ſuis ſuffragiis comprobavit, at eas ſaepe ubi veritas, ac juſtitia arma illi ſuppeditarent, verbis graviſſimis, ac rationibus confutavit, eorumque cauſam, quos lin-

gua invidorum, aut malevolorum laederet, acerrime propugnavit. Maxima quidem laus; at ei quidem communis cum hominibus ceteris gentis ſuae, praeſertim cum Patre Joanne Noe (a) Viro optimo, integerrimo, atque ob morum ſuavitatem omnibus acceptiſſimo. Quis tamen hanc ejus laudem propterea quod non eam ſibi propriam ac peculiarem adſiſcat, ſed tamquam hereditariam acceperit minore in pretio habendam eſſe arbitretur.

Neque vero praetereunda ſilentio eſt ſingularis animi moderatio, qua non modo ab honorum dignitatumque cupiditate ſe vacuum plane oſtendit, verum etiam ab omni pompa, ab exquiſito capilli cultu, a ſplendido veſtimentorum apparatu, quibus rebus adoleſcentes tantope-

(a) *Is haud ita pridem adlectus eſt in ſpectatiſſimum illum Virorum cetum qui dicitur* Anzianato, *cui graviſſima Civitatis negotia commiſſa ſunt. In hunc Cetum jam multo antea adſcriptus eſſet niſi ſumma ipſius animi moderatio obſtitiſſet.*

re delectantur, abhorret, eo nimirum contentus ut munditiem ſine neglectu, elegantiam ſine jactantia praeſeferat. Quae quidem omnia iis conſonent, quae de decenti Medici hominis ornatu Hippocrates enuntiavit. Hujuſce moderationis exemplum hauſiſſe videri poteſt ex Patruo illo ſuo CAESARE ZURLINIO Regiae Aulae, atque incliti hujus Collegii olim Medico praeſtantiſſimo, quem paucis ab hinc annis immatura morte ſublatum, & veteris amicitiae, e debiti honoris gratia commemoro. Minime vero dubito, quin BERNARDUS ut hanc, alias item virtutes ſit repraeſentaturus ornatiſſimi illius Viri, ac doctrina, experientia, prudentia cum paucis comparandi.

Jam porro de ſtudiis ZURLINII noſtri quid dicam? Fateamur id quod tes eſt. Is quidem exſucca illa, jejuna, & injucunda praecepta, quibus aetas puerilis imbui ſolet, minus avide arripuit, imo potius neglexit. At vero poſtquam ingenio cum aetate corroborato litterarum

jucunditatem caepit aliquantulum deguſtare, pueritiae indiligentiam, ſeu velis ignaviam labore acerrimo compenſavit, equos ſtrenuos imitatus, qui ubi alios praecurrentes conſpiciant, maximo ardore contendunt, ut eos non aſſequantur modo, ſed etiam praetergrediantur. Hoc ille animo ad philoſophicas diſciplinas ſe contulit, quibus apprime excultus Medicinae provinciam ingreſſus eſt, quaeque ad arcana ut ita dicam, hujuſce artis myſteria pervadenda ſunt neceſſaria ſubſidia, ea ſibi omnia diligentiſſime comparavit. Anatomes ſchola, quae Medicinae fundamentum merito exiſtimatur, tanta cum ſedulitate ab eo eſt frequentata ut paucos mihi videar poſſe illi ex meis auditoribus comparare. Quam vero ipſe profecerit ex reliquis celeberrimorum Medicinae Profeſſorum ſcholis vel unum illud documento ſit, quod marte ſuo, nullo fere ſubſidio alieno accedente eam ſibi rerum ſupellectilem apparavit, qua tum hanc ipſam, tum priorem alteram doctri-

nae, ingenii, induſtriaeque ſuae periclitationem ſubiret. Haec vero graviora ſtudia politioribus litteris condire conſuevit, praeſertim poeſi, cujus ego ſpecimina luculenta non ſemel in ejus verſibus tum Anacreonticis, tum Martellianis incredibili quadam cum voluptate perſpexi. Quae quidem legens ita admirabar, ut ad illum hereditario quaſi jure migraſſe dicerem ingenium elegantiſſimi illius Poetae ejuſdemque Oratoris optimi PETRI ZURLINII Patrui ſui (a), cujus nomen illuſtre non in hac modo Civitate adhuc viget, ſed & in aliis, ac potiſſimum apud Venetos meos, qui ejus dicentis e celebrioribus ſuggeſtis doctrinam, pietatem, copiam, ἐνέργειαν ſaepe mirati ſunt,

---

(a) *Inter varia ac praeclara, quae* ZURLINIUS *noſter in Italia conſcendit ſuggeſta, bis Venetiis in Eccleſia S. Zachariae quadrageſimales conciones habuit, eoque cum plauſu, ut ſummis atque humaniſſimis devinctus officiis eodem ille elapſo triennio redeundum eſſet: verum repentina morte correptus e vivis deceſſit A. 1755. Praeclariſs. Frugonus hac Inſcriptione, quae in Parmenſi Cathedrali legitur, immortalitati ejuſdem nomen conſignavit.*

ſeſeque hac tali, hac tanta virtute haud amplius frui poſſe incredibiliter dolent.

Ar noſtri tandem Candidaii Religio meam claudat orationem. Non is quidem ſatis habuit ea tantum pietatis in Deum officia colere, quae a Sapientiſſimis Rei Litterariae Moderatoiibus ſtudioſorum cuique praeſcripta ſunt, ſed illa

---

D. O. M.
PETRO . ZVRLINO
CIVI . PARMENSI
SACERDOTI . VITAE . INTECRO
VIRO . ACRI . INGENIO
MORIBVS . MODESTISSIMIS
POETAE . AC . ORATORI . OPTIMO
PETRVS . ANTONIVS . ZVRLINVS
CONSOBRINO . SVAVISSIMO
BENEMERENTI
MAESTISSIMVS . POSVIT . ANNO . CIƆIƆCCLV .
VIXIT . ANNOS . XLVII .

*Nonnulla tanti Viri ſcripta jam typis commiſſa extant, quae a Sapientiſſimis Viris in magno pretio habentur. Superſunt adhuc ejuſdem plura, eaque inedita apud praeſ. Virum* BENEDICTUM ZURLINIUM*, quae ut communi hominum voluntati ſatisfiat fortaſſe tandem in lucem prodibunt.*

paſſim aliis atque aliis Chriſtianorum operum teſtimoniis cumulavit, ſodalibuſque ſuis auctor fuit, ut quorumdam e Sanctis Viris in Caelum receptis feſta ſingulis annis celebrarentur, aere ſuo in hanc rem interdum affatim erogato. Hanc in Deum, Superoſque pietatem cum pietate in Parentes, atque Propinquos, cum charitate erga omnes, maximeque erga pauperes perpetuo copulavit; eoſque tulit virtutis fructus, qui ex vera, germanaque Religione, minime vero ex fucata, ac ficta Religionis ſpecie, quam venditant haud pauci, oriri poſſunt. Haec ſane pietatis lumina palam faciunt, quanto ſtudio Bernardus in ſe exprimere, atque ad vivum referre conatus ſit Patruum ſuum morum virtute inſignem Benedictum Zurlinium, Conſortialium, quos vocant Sacris praeſidentem (a); tum quoque Avunculum Josephum Molina-

(a) *Pluribus honorum inſignibus polici praeclarum illuſ. Praesbyterorum Parmenſium Conſortium, in quo ille qui Sacris praeeſt inter praecipuas dignitates locum habet.*

RIUM, Canonicum, ac Regii Principis Noſtri Sacris Praefectum, cujus inregritas, probitas, animi conſtantia, gravitas cum lenitate conjuncta, in ſui amorem atque obſervantiam allicit univerſos; atque hujus denique Fratrem Religioſiſſimum Virum CONSTANTINUM nomine e ſpectatiſſima illa Capucinorum Sancti Franciſci Sodalitate, qui morum integritati, comitatem, urbanitatemque peculiarem adeo adjungit ut bonis omnibus acceptiſſimus ſit.

Ex his, quae hactenus curſim atque inornate de natura, ſtudiis, moribuſque BERNARDI ZURLINII perſecutus ſum, facile intelligitis, ornatiſſimi Auditores, quid de illo ſentiendum ſit, quinam ſint fructus ex hiſce floribus expectandi. Tu vero optimae ſpei Adoleſcens ſuſcepto itineri fac inſiſtas, melancholicas affectiones moderatis oblectationibus temperes, novos in dies eruditionis theſauros perſequaris; idque ratum, firmumque habeas, lauream tibi hodie impertitam non

tam eſſe praeteritorum mercedem, quam futurorum laborum incitamentum. Hoc ſane pacto & nomini tuo, & tuae ſimul egregie conſules, civiumque tuorum utilitati.

*PARMAE*
EX REGIO TYPOGRAPHEO
CIↃ. IↃCC. LXXVII.
SUPERIORUM PERMISSU.